Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-66653-p0001-9

RECTOR ACADEMIÆ
LIPSIENSIS.

QVocunqve jàm oculorum vertimus aciem, nulla nobis gaudendi occaſio, triſtitiæ autem ſeges & materia copioſa ubiqve præbetur. Qvid enim non molitur Bellonæ crudelitas? qvid effrons ferocia? promiſcuarum cædium, libidinum, rapinarum, vaſtitatum exempla paſſim infelix monſtrat experientia; imò talia piacula refert, qvæ Mundi hunc oculum, Solem, inter Chriſtiani nominis homines unqvam antehac adſpexiſſe, vix credi poteſt. Verùmenimverò ad præſentia hæc mala adeò ſupinari, & in ſqvalore temporum horum ita torpere non debemus, ut ad ſpiritualia non anhelemus, & in Domino gaudeamus. Fides in Chriſtum & conſcientia bona ſemper ſibi Sabbatum, ſemper feſtum conſecrat, ubi ab hiſce terrenis avocatur, & dulcedine gratiæ divinæ delibuta Deo ſuo vacat; qvicqvid eſt fellis in humanis rebus, pro melle, qvicqvid ignominiæ, qvicqvid doloris à Deo immittitur, pro gloriâ proq; gaudio deputat, ac relictis omnibus iſtis mundi qvaſi exuviis in ſacello cordis ſui Deo aram devotionis ſtatuit: Qvin ergò & hoc tempore, ubi Natale Feſtum Domini celebrandum recurrit, animis erigamur, & canticis piis atqve jubilis, qvibus annum hunc Secularem Auguſtanæ Confeſſionis initiavimus, etiam dedicemus hunc diem ſpiritualis lætitiæ, diem felicem, diem glorioſum, diem omni tempore celebriorem, diem, cujus memoriam nulla mens ſatis recolere, nulla lingva ſatis eloqvi valet. Præeuntem habemus Eccleſiam Chriſtianam in univerſo terrarum Orbe, Chriſti Regis nati laudes reſonantem:

In dulci jubilo
Cantate gaudio,
Noſtri voluptas cordis
Eſt in præſepio;
Ceu Sol coruſcat ortus
Matris in gremio,
Alpha es & O.
Alpha es & O.

O Jeſu parvule,
Solum reqviro te,
Mentem meam ſolare,
O Puer optime,
Dulci tuo favore,
O Princeps gloriæ,
Trahe me poſt te!
Trahe me poſt te!

O Patris caritas,
O nati lenitas,
Cuncti periveramus
Per noſtra crimina;
Per hunc recuperamus
Cœlorum gaudia:
Hîc ſimus eja.
Hîc ſimus eja!

Ubi ſunt gaudia?
Non uſqvam qvalia,
Apud Angelos canentes,
Jucunda cantica,
Et cymbalis ſonantes
In Regis curiâ:
Hîc ſimus eja!
Hîc ſimus eja!

Agite ergò, intremus domum Domini, & incunabula Domini noſtri oculis fidei cognoſcamus, & ſucciduis pedibus veneremur: perſonam ejus mirabiliter ſingularem, & ſingulariter mirabilē faſciis cordis involvamus, amoris noſtri baſiis diſſvaviemus, omnibusq; bonis nos oblectemus, qvæ nativitate ſuâ paravit. Nemo v. nobis meliùs hæc monſtrare poteſt, qvàm Caduceator cœleſtis, Paſtoribus illa omnia brevibus, ſed miris verbis deprædicans: Natus eſt vobis hodiè Salvator, qvi eſt Chriſtus, Dominus in civitate David. Ergò infans hic eſt geminæ ſubſtantiæ, Filius Mariæ recens natus, & Filius Dei ab æterno genitus, Homo & Dominus, ille, per qvem facta ſunt omnia, factus eſt inter omnia: Filius Dei ſine matre: Filius hominis de matre ſine patre: Verbum Dei ante omnia tempora: verbum caro oportuno tempore. Conditor Solis conditus ſub Sole: cuncta ſecula ordinans de ſinû Patris: hodiernum diem conſecrans de utero matris: Ibi manens, hinc procedens: effector cœli & terræ, ſub cœlo exortus in terrâ. Ineffabiliter ſapiens, ſapienter infans: mundum implens, in præſepio jacens: ſidera regens, ubera lambens. Ita magnus in formâ Dei, brevis in forma ſervi, ut nec iſtâ brevitate magnitudo minueretur, nec illâ magnitudine brevitas premeretur. Neqve enim, qvando membra humana ſuſcepit, opera divina deſeruit; nec attingere à fine uſqve ad finem fortiter, & diſponere omnia ſvaviter deſtitit, qvando infirmitate carnis indutus, virginali utero receptus eſt, non incluſus: ut nec Angelis ſubtraheretur ſapientiæ cibus. Auguſtin. ſerm. 27. de tempore. Hi naturarum in Chriſto ſunt tituli, hæc elogia. Nunc porrò videamus, qvomodo hæ duæ Naturæ ſint in Chriſto. Nimirùm Verbum caro factum eſt; non caro facta eſt Verbum; divina natura Verbi aſſumſit, ac ſibi univit humanam, non perſonam, ſed naturam: humana natura non aſſumſit, ſed aſſumta & unita eſt: nec vel uno momento priùs fuit, aut exſtitit, aut ſubſtitit, qvàm cùm aſſumeretur; ſimul ac in alvo beatæ Virginis formata eſt, eo temporis puncto in perſonâ Verbi ſubſiſtentiam habuit, ἅμα σὰρξ, ἅμα Θεοῦ Λόγου σὰρξ, ſimul caro, ſimul Filii Dei caro. Terminus verò aſſumtionis, eſt hypoſtaſis, non eſſentia; qvia Deus factus eſt homo, non autem Deitas facta eſt humanitas; Filius Dei incarnatus, non tamen mutatus eſt in alium, ſed idem ipſe, qvi ante fuit, aſſumtæ naturæ communicavit hypoſtaſin ſuam, ut in ipſâ ſubſiſtat. Hinc illa unitio, ut Gelaſius, vel coadunatio, ut Fulgentius & Maxentius nominant, à natura aſſumta Patribus Orthodoxis dicitur ἐνσάρκωσις, incarnatio, ἐνσωμάτωσις, ἐνανθρώπησις: A termino verò ἑνοποιῷ, perſonalis denominatur. Sicut autem carnis aſſumtio in perſonam, & unitio naturarum ſemel facta eſt arcana, & omnis intellectûs finiti menſuram exſuperat: ita & æqvè admirabilis eſt ſtatus unitionem & incarnationem conſeqvens, unio ſcilicet naturarum, & perſonæ unitas ac communitas. Si enim ſpectemus unionis hujus durationem, ἀδιαλύτως, inſolubiliter & perpetuò: ſi firmitudinem, ἀδιασπάστως, indiſtractè: ſi unitorum mutuam præſentiam, ἀδιαστάτως καὶ ἀχωρίστως, citra ullam diſtantiam, aut locorum intercapedinem: ſi communionem unitorum, ἀδιαιρέτως, citra diviſionem: ſi perfectionem, diſtinctionem & numerum unitorum, ἀτρέπτως, ἀσυγχύτως, καὶ ἀναλλοιώτως, citra converſionem, confuſionem, aut mutationem: ſi denique modum unionis videamus, ὑποστατικῶς in perſonæ unitate, duæ naturæ ſunt & manent unitiſſimæ. Ideò licèt in Chriſto ſit aliud & aliud, alia atqve alia natura: non tamen eſt alius & alius Chriſtus, alia atqve alia perſona. Hinc duas qvidem nativitates Chriſti confitemur, æternam, & in tempore; illam ex Patre ante ſecula; hanc ex matre ſub Auguſti Cæſaris imperio; & credimus, qvòd Filius Mariæ, ſit Filius Dei, non adoptivus, ſed naturalis, ſecundùm utramqve Naturam: qvoad divinam, naturaliter & æternè: qvoad humanam, in tempore & perſonaliter. Porrò à communione naturarum fluit communio proprietatum: à communitate hypoſtaſeos originem trahit communitas operum effectorum & eventorum. Habitat in Chriſti carne, tanqvam in templo ſuo, tota plenitudo divinitatis, & in eâ lucet atqve exerit ſuas operationes divinas: & divina natura ſibi appropriat humanæ naturæ proprietates; Filius Mariæ eſt ille Dominus, cujus claritas paſtores circumfulſit; eſt ille Rex, cujus ſtellam in oriente viderunt Magi, primitiæ gentium ad ipſum convertendarum. Viciſſim, Filius Dei eſt, qvi in alvo matris concipitur, geſtatur, naſcitur. Deus lactatur, faſciis involvitur, in præſepio collocatur, à paſtoribus cernitur, à Magis inviſitur; Deus vagit, plorat: Et tamen ſalvæ ſunt, & manent diſtinctæ voluntates, proprietates ac operationes cuiqve naturarum propriæ. Sed ab unitate perſonæ eſt unum idemq; munus Propheticum; unum idemq; Sacerdotium; unus idèmq; dominatus, ita, ut ad hæc opera concurrat utraqve natura ſecundum ſuas proprietates, non tamen abſqve communione alterius, id eſt, ut DEUS aſſumat humanæ naturæ proprietates, naturæ verò humanæ communicet divinas proprietates. Sic unus eſt Chriſtus, unus Salvator. Ita videmus, qvomodo Angelus & tota Scriptura nobis credendi lineam ſignet, ultra qvam conſiſtere non datur, qvi divinis revelationibus acqvieſcere volunt. Miranda, non rimanda ſunt hæc Myſteria, & pronis animis veneranda. Maneat ratio, maneant ſenſus, qvæ ſuis regulis metiri non poſſunt hanc ſine exemplo nativitatem. A ſeculo non eſt auditum, Deum fieri hominem, & tamen Deum eſſe: Creatorem parvo lacte nutriri, & nihilominus omnes res ſuſtentare. Stupet ad hæc cor humanum, & cùm illa credit, hoc ipſum qvoqve miraculo non caret. Rectiſſimè Athanaſius de Incarnatione Verbi tom. 3. Si qværenti tibi dubitatio incidit, πρόφερε ἑτοίμην λύσιν, πίστιν, profer probatiſſimam ſolutionem, qvæ eſt fides, i.e. Dei revelatio, articulos fidei tradens. Nam ut ſcitè Auguſtinus ait: hîc ſi ratio qværitur, non erit ſingulare: demus Deum aliqvid poſſe, qvod nos fateamur inveſtigare non poſſe: in talibus rebus tota ratio facti eſt potentia facientis. Reſtat, ut ex cœleſti nuncio percipiamus, qvibus natus ſit hic Salvator: Vobis, inqvit, natus eſt. At qvinam illi? num paſtores? At ita Magi orientales, Simeon, Hanna infantem hunc accedere, & bono ſuo natum credere non potuiſſent: aut nulli alii eſſent id, qvod factus eſt Filius Dei. Omnibus ergò hominibus natus eſt, cùm Filius DEI factus eſt homo. Ideò Angelus profitetur Evangelium gaudii magni, qvod omni populo futurum ſit. Qvod idcircò ſinguli hominum ſibi applicare debent, & cum Eſaia dicere: Puer natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis. Nullus hominum excluditur, niſi qvi ſemetipſum ſpontaneo hujus Salvatoris repudio excludat. Si qvis in Chriſtum non credit, generali beneficio ſe ipſe fraudat, ut ſi qvis clauſis feneſtris radios Solis excludat, non ideò Sol non eſt ortus omnibus; qvia calore ejus ſe ipſe fraudavit: Sed qvod Solis eſt, prærogativam ſuam ſervat: qvod impudentis eſt, communis à ſe gratiam lucis excludit; ut verba Ambroſii ſerm. 8. in Pſ. 118. tom. 4. p. 477. huc accommodemus. Videte jam, Cives Academici, qvàm nihil deſit, & ut gratia exuberet nobis ad ſalutem noſtram! Tàm vult, qvàm poteſt nos ſalvare. Ideò enim facta eſt duarum naturarum unio, ut, qvod opus erat fieri ad hominum reſtitutionem, ſi humana non poſſet, natura faceret divina: & ſi divina minimè conveniret, exhiberet humana. Ut idem ipſe per humanam ſolveret, qvod ipſa debebat: & per divinam poſſet, qvod expediebat; ut Anshelmus in libr. Cur Deus Homo, c. 18. piè ratiocinatur. Erat humana natura in nobis ex lapſu Adæ corrupta, damnasq; mortis, à Dei vitâ & communione abalienata. At Filius Deus naturam nobis congenerem, ſed abſqve peccato, in ſuam hypoſtaſin aſſumit, ut in illâ reatum noſtrum expiet, peccatum damnet, & omnem commeatum gratiæ nobis ad juſtitiam, vitam, ſalutem, imaginis divinæ reſtitutionem neceſſariæ pleniſſimè depoſitum nobis fratribus ſuis eroget. Qvia verò merus homo, licèt juſtus, talento totius Mundi, & iræ divinæ oneri ſufferendo non fuiſſet; ecce! Dei Filius hominem aſſumſit, & in carne nobis conſubſtantiali peccata noſtra luit, iram Dei ſufficientiſſimo lytro placavit, caput ſerpentis conculcavit, mortem deſtruxit, & vitam ac ſalutem nobis recuperavit. Inſuper nudus homo non poterat Deum, & qvæ in ſinu ejus ſunt, videre, & arcanum ſacroſanctæ Trinitatis ingredi; non poterat in judicio Dei cauſam noſtram agere, & pro nobis intercedere; non poterat nos juſtificare, Spiritû Sancto munerari, & inhabitare: non poterat à mortuis ad vitam æternam reſuſcitare: Divinæ namqve potentiæ hæc momenta ſunt & indicia: Ideò hic Homo eſt per unionem perſonalem DOMINUS, qvi in carne propriâ nobis enunciat Dei conſilium, pro nobis intercedit, & merita ſua nobis applicat. O immenſum dignationis divinæ erga nos miſeros affectum! ô ſecurum ſalutis noſtræ in hoc homine depoſitum! Qvod certius pignus noſtræ liberationis exhiberi nobis potuiſſet? Nemo carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit eam, ac fovet: & noſter hic frater, caro de carne noſtrâ, & os ex oſſibus noſtris, curam noſtri abjiciat, & non in omnibus officiis ſuis nos benignè habeat, aſſerat, & beet? Hujuſmodi genethliacas meditationes ſolenniter hiſce feriis Salvatori noſtro dedicabimus in conventibus ſacris: qvalem & Nos in Academia indictum volumus, atqve ideò Cives Academicos monemus, ut à meridie horâ XII. in æde Paulinâ freqventes adſint, & lætis animis Filio DEI gratias agant. PP. Lipſiæ 25. Decembr. Anno ∞ IↃC XXX.

LIPSIÆ excudebat GREGORIUS Ritzſch.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-66653-p0003-0

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-66653-p0005-1

RECTOR ACADEMIÆ LIPSIENSIS.

QVocunqve jàm oculorum vertimus aciem, nulla nobis gaudendi occaſio, triſtitiæ autem ſeges & materia copioſa ubiqve præbetur. Qvid enim non molitur Bellonæ crudelitas? qvid effrons ferocia? promiſcuarum cædium, libidinum, rapinarum, vaſtitatum exempla paſſim infelix monſtrat experientia; imò talia piacula refert, qvæ Mundi hunc oculum, Solem, inter Chriſtiani nominis homines unqvam antehac adſpexiſſe, vix credi poteſt. Verùmenimverò ad præſentia hæc mala adeò ſupinari, & in ſqvalore temporum horum ita torpere non debemus, ut ad ſpiritualia non anhelemus, & in Domino gaudeamus. Fides in Chriſtum & conſcientia bona ſemper ſibi Sabbatum, ſemper feſtum conſecrat, ubi ab hiſce terrenis avocatur, & dulcedine gratiæ divinæ delibuta Deo ſuo vacat; qvicqvid eſt fellis in humanis rebus, pro melle; qvicqvid ignominiæ, qvicqvid doloris à Deo immittitur, pro gloriâ proq; gaudio deputat, ac relictis omnibus iſtis mundi qvaſi exuviis in ſacello cordis ſui Deo aram devotionis ſtatuit: Qvin ergò & hoc tempore, ubi Natale Feſtum Domini celebrandum recurrit, animis erigamur, & canticis piis atqve jubilis, qvibus annum hunc Secularem Auguſtanæ Confeſſionis initiavimus, etiam dedicemus hunc diem ſpiritualis lætitiæ, diem felicem, diem glorioſum, diem omni tempore celebriorem, diem, cujus memoriam nulla mens ſatis recolere, nulla lingva ſatis eloqvi valet.

Præeuntem habemus Eccleſiam Chriſtianam in univerſo terrarum Orbe, Chriſti Regis nati laudes reſonantem:

In dulci jubilo Cantate gaudio, Noſtri voluptas cordis	O Jeſu parvule, Solum reqviro te, Mentem meam ſolare	O Patris caritas, O nati lenitas, [illegible]	Ubi ſunt gaudia? Non uſqvam qvalia, [illegible]

Agite ergò, intremus [illegible] liter ſingularem, & ſingulariter mirabilē [illegible] nobis meliùs hæc monſtrare poteſt, qvàm Cadu[illegible] s, Dominus in civitate David. Ergò infan[illegible] facta ſunt omnia, factus eſt inter omnia: F[illegible] tempore. Conditor Solis conditus ſub [illegible] cedens: effector cœli & terræ, ſub cœlo exc[illegible] nbens. Ita magnus in formâ Dei, brevis [illegible] Neqve enim, qvando membra humana ſuſcepit, opera divina deſeruit; nec attingere à fine uſqve ad finem fortiter, & diſponere omnia ſvaviter deſtitit, qvando infirmitate carnis indutus, virginali utero receptus eſt, non incluſus: ut nec Angelis ſubtraheretur ſapientiæ cibus. Auguſtin. ſerm. 27. de tempore. Hi naturarum in Chriſto ſunt tituli, hæc elogia.

Nunc porrò videamus, qvomodo hæ duæ Naturæ ſint in Chriſto. Nimirùm Verbum caro factum eſt; non caro facta eſt Verbum; divina natura Verbi aſſumſit, ac ſibi univit humanam, non perſonam, ſed naturam: humana natura non aſſumſit, ſed aſſumta & unita eſt: nec vel uno momento priùs fuit, aut exſtitit, aut ſubſtitit, qvàm cùm aſſumeretur; ſimul ac in alvo beatæ Virginis formata eſt, eo temporis puncto in perſonâ Verbi ſubſiſtentiam habuit, ἅμα σὰρξ, ἅμα Θεȣ̃ Λόγȣ σὰρξ, ſimul caro, ſimul Filii Dei caro. Terminus verò aſſumtionis, eſt hypoſtaſis, non eſſentia; qvia Deus factus eſt homo, non autem Deitas facta eſt humanitas; Filius Dei incarnatus, non tamen mutatus eſt in alium, ſed idem ipſe, qvi ante fuit, aſſumtæ naturæ communicavit hypoſtaſin ſuam, ut in ipsâ ſubſiſtat. Hinc illa unitio, ut Gelaſius, vel coadunatio, ut Fulgentius & Maxentius nominant, à natura aſſumta Patribus Orthodoxis dicitur ἐνσάρκωσις, incarnatio, ἐνσωμάτωσις, ἐνανθρώπησις: A termino verò ἑνοποιῶ, perſonalis denominatur. Sicut autem carnis aſſumtio in perſonam, & unitio naturarum ſemel facta eſt arcana, & omnis intellectûs finiti menſuram exſuperat: ita & æqvè admirabilis eſt ſtatus unitionem & incarnationem conſeqvens, unio ſcilicet naturarum, & perſonæ unitas accommunitas. Si enim ſpectemus unionis hujus durationem, ἀδιαλύτως, inſolubiliter & perpetuò: ſi firmitudinem, ἀδιασπάστως, indiſtractè: ſi unitorum mutuam præſentiam, ἀδιαστάτως καὶ ἀχωρίστως, citra ullam diſtantiam, aut locorum intercapedinem: ſi communionem unitorum, ἀδιαιρέτως, citra diviſionem: ſi perfectionem, diſtinctionem & numerum unitorum, ἀτρέπτως, ἀσυγχύτως, καὶ ἀναλλοιώτως, citra converſionem, confuſionem, aut mutationem: ſi denique modum unionis videamus, ὑποστατικῶς in perſonæ unitate, duæ naturæ ſunt & manent unitiſſimæ. Ideò licèt in Chriſto ſit aliud & aliud, alia atqve alia natura: non tamen eſt alius & alius Chriſtus, alia atqve alia perſona. Hinc duas qvidem nativitates Chriſti confitemur, æternam, & in tempore; illam ex Patre ante ſecula; hanc ex matre ſub Auguſti Cæſaris imperio; & credimus, qvòd Filius Mariæ, ſit Filius Dei, non adoptivus, ſed naturalis, ſecundùm utramqve Na[illegible] in tempore & perſonaliter. Porrò à communione naturarum fluit communio proprietatum: à